Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26464
Copyright: Admont, Benediktinerstift

138

absoluit errore. Accidit autem inse
quenti tempore dum iter ageret. ut gentilis
cuiusdam corpus quod ad sepulchrum cum superstitioso
funere deferebatur. obuium haberet conspicatusque
eminus uenientium turbam. quidnam id esset igna
rus. paululum stetit. Nam cum fere quingen
torum passuum interuallum esset. ut difficile
fuerit internoscere quid uideret. tamen quia
rusticam manum cerneret. et agente uen
to linteamina corpori superiecta uolita
rent. profanos sacrificiorum ritus agi credidit.
quia hec gallorum rusticis esset consuetudo simu
lachra demonum. candido tecta uelami
ne misera per agros suos circumferre dementia.
Eleuato ergo in aduersum signo crucis. imperat
turbe non moueri loco. onusque deponere.
Hic uero mirum in modum uideres miseros primum
uelut saxa riguisse. deinde cum promo
ueri se summo conamine niterentur ultra
accedere non ualentes. ridicula in uertigine
rotabantur. donec uicti corporis onus de